

Disputatio medica inauguralis, De causis febris epidemicae nunc Edinburgi grassantis : quam, annuente summo numine, ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti, necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae Facultatis Medicae decreto, pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis, eruditorum examini subjicit Edvardus Turner, Jamaicensis, Societatis Regiae Medicae Edinensis socius, necnon praeses annuus.

Contributors

Turner, Edward, 1798-1837.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1819.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eckbrsbz>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E.library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





493-1887

Cc 4 - c . 25





THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

JOHN J. HARRIS LIBRARY

1100 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4331

BOOKS BY MAIL

1100 EAST 58TH STREET

CHICAGO

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637


CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637

CHICAGO, ILL. 60637



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CAUSIS FEBRIS EPIDEMICAE

NUNC EDINBURGI GRASSANTIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS TURNER,

JAMAICENSIS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS,

NECNON

PRAESES ANNUUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

To

John Thomson Esq: M. D.

With respectful Compliments
from the Author.

VIRIS SPECTATISSIMIS,

THOMAE BLIZARD, ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIAE LONDINENSIS SOCIO,

NUPERQUE

VALETUDINARII LONDINENSIS CHIRURGO, &c.;

NECNON,

FRANCISCO RIGBY BRODBELT, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LOND.

ATQUE

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS

SOCIO;

QUIBUS AUSPICIBUS ET DUCIBUS

IN ARTIS APOLLINARIS STUDIUM FELICITER INCUBUIT,

QUIBUSQUE,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

GRATIAS PUBLICAS LUBENTER AGIT;

HANC DISPUTATIONEM

ANIMO GRATISSIMO

DICAT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2014

<https://archive.org/details/b21452593>

PRAEFANDA.

M^{IHI} quaedam de Febre Edinensi scripturo, non solum de contagio agere, verum etiam febris ipsius indicia, progressum, eventus, curationemque describere, initio consilium fuerat ; eoque potius, quod *Medicus Domesticus* (Clerk) apud valetudinarium novum, *Queensberry-House Fever-Hospital* dictum, auspice Doctore HOME, Materiae Medicae nostro professore spectatissimo, quam plurima ejusdem exempla vidi. Re tamen altius perpensa, nec tempus breve, neque angusti limites opuscula hujusmodi continere soliti, ut argumentum tanti momenti, tam lateque patens, aggrediar, sinere videbantur : cujus ideo, antea duplicis, unam solummodo partem, prosequi satius esse tandem duxi. Eoque lubentius alteram praetermisi, quod vir spectatissimus mihiq[ue] amicissimus, ROBERTUS CHRISTISON, pro singulari suo felicique ingenio totam rem aggressus est ; aureamque disputationem

suam de Febris Indiciis, incremento, et curatione idonea editurus.

Nec mihi quidem ingratum est, opiniones nuper a Doctore WELSH * in opere practico de re proposita editas propriis fere omnino congruere. Neque hoc mirandum ; quippe cujus eundem explorare campum mecum commune fuerit, sermone simul crebro ultro citroque de eodem habito.

Et sane animum voluptate quadam et delectatione afficit, quod amicus meus, disciplinarum medicarum et natura et experientia sagax, GUILIELMUS CULLEN, quum de his omnibus invicem colloqui solebamus, in easdem scientiam et laborem contulerit, auctoritate sua praecepta mea et observata sanciturus. Oportet etiam confiteri, amicum meum ingenuumque virum, JOSEPHUM STEPHENSON, qui collega totum fere annum in Valetudinario Novo vixit, de opinionibus variis, quae in hoc tentamine continentur, semper lubentissime mecum communicasse.

*Apud Valetudinarium Novum }
pridie kalendas Julias MDCCCXIX. }*

* Vide Treatise on the Efficacy of Bloodletting in the Present Epidemic.

DISPUTATIO MEDICA

QUAEDAM

DE

CAUSIS FEBRIS EPIDEMICAE

NUNC EDINBURGI GRASSANTIS

COMPLECTENS.

MHI summos medicinae honores ambituro, ideoque aliquid ad artem medicam pertinens conscripturo, nihil potius visum est, quam pauca de Causis Febris *Epidemicæ*, quae populum Edinensem nuper vastavit, necdum affligere desiit, in medium proferre.

Res est notissima febrem contagiosam uribus amplioribus annos jam complures haud

prorsus defuisse ; tantuli tamen fere habitam, ut, nisi solito latius dispergatur, graviusve incumbat, omnes praeter medicum vicinum pene lateat. De Edinburgo hoc jure praedicatur : medici enim, qui per annos multos febre urbana implicatos curare consuerunt, hodiernam olim grassatae simillimam esse fatentur. Quidam sane huic illam aliquid discrepare omnino negant : alii, praesentem acutiorem esse, ideoque venas, eadem urgente, tutius utiliusque incidi, contendunt. *Rubeola, variola, et scarlatina* eandem penitus habent rationem ; certis nimirum temporibus tam leves, ut vix quidem existere videantur : alias, tantae multitudini infestae, ut nulli parenti non timorem incutiant : neque profecto minus, quam haec ipsa febris, aliis tempestatibus aliam sibi speciem induere solent.

Proinde, inter medicos convenit, febrem Edinensem hodiernam morbum novum non existimandum ; sed eandem esse, quae olim grassari solebat, nunc demum multo crebriorem. Huic rei nihil supererit dubii, si causas idoneas patefacere possimus, unde haec febris tanto latius quam antehac diffundatur.

Nostrates rerum adversarum, quae, bello tandem finito, Britannias affligebant, diu memores erunt. Populus mercatura infausta, aereque alieno oppressus, eo crudelius malis secuturis vexabatur. Paci reduci Ceres anno MDCCCXVI^{to} parca accedebat, famem Britannis Hibernisque minitura. Hinc fruges permagno venire, populoque egeno opes iisdem emendis habiles, deficere coeperunt: qui ideo pauperie, inedia, ignavia, et exinde moerore et squalore confectus, contagio impune objici nequibat. Ubique ingens multitudo hominum, deperdita re familiari, tabernas angustissimas spurcitie et contagio permultos forsitan annos foedatas petebat. Istae causae aliaeque ejusmodi fecerunt, ut haec febris Edinenses tantum plexuerit.

Nemo, hisce perspectis, febrem *epidemicam* esse factam mirabitur. Veri quoque est simile coeli rationem nuperam haud parum *epidemicis* malis favisse: certeve, in animo habitis, quae clari auctores hac de re scripserint, inducor, qui ita sentiam.

Terrae Europae continentis cum Britannis commune fuit aerumnas jam relatas subiisse;

omnesque inter convenit, famem et febrem pestilentem quam intimo nexu invicem committi. Qualiter vero aut quousque inter se socientur, controversia moveri potest. Quicquid de hac quaestione protulerim, ad febrem Edinensem unice pertinet : quam equidem contagio, causa fere sola, dispergi, famemque huic accipiendo et inde febri subeundae corpora aptare, conjicio : pauperes scilicet inedia labefacti ad tabernas jam contagio pollutas confugiunt.

Nonnullos, perpaucos sane, subinde istam citra noxam febricitare ; horumque corpora deinde contagium, aliis propinquis febrem illaturum, exhalare, haud dubitabo : contendo tamen nihil, nisi contagium, uti febris Edinensis causam excitantem, multum valere. Non equidem ignoro, febrem permultis partibus * hujus urbis adesse : scire autem licet quaedam angiporta coelo impuro et squalore pessimo turpia eam potissimum affectare. Quotiesque partem urbis antea integram invadit, perraro contagium, ejus fontem, non deprehendere licet : neque vero

* Vide Tabulam IIM haec loca exhibens.

celandum, loca multa vulgi tuguriis referta, iisdemque squalentibus, ex quo eruperit ad hunc usque diem, febris purissima extitisse. Quod si inedia et squalor febrem progignere valerent, hos quoque febricitare, eoque plures, quo magis istis noxis objiciantur, oporteret. Contagium ideo nondum ad haec loca penetrasse judico.

Proximum est, ut rem ipsam propositam aggrediar : scilicet,

I. Imprimis, Contagium existere, causamque esse excitantem praecipuam, ostendere nitar.

II. Quousque contagium valeat, quibusque ejus actio regatur legibus, inquiram ; quantum proprio usu et observatione nixus ediscere potui.

III. Pauca de rationibus cursui hujus febris *epidemicæ* impediendo, id est, contagio delendo accommodatis, disputabo.

1. Contagionem existere, causamque esse excitantem praecipuam, ostendere nitar.

Perraro aliquis, salvis reliquis easdem aedes accolentibus, febricitat : alterutro scilicet parentum aegrotante, vix aut ne vix quidem nati, iisdem tectis subjecti, immunes esse possunt. Usu cognovi rarius maritum aut uxorem solum ad valetudinarium advectum esse ; sed unum duosve saltem liberos ; imo vero aliquando utrumque parentem, omnesque natos simul febre correptos valetudinarium adiisse.

Qui autem febres non aura pestifera, sed aliunde provenire credunt, easdem omnes una domo inclusos eo adoriri contendunt, quod aliis causis ista ipsa haud minus potentibus, inediae scilicet, squalori, coelo gravi aut impuro, omnes pariter objiciantur. Quos opinionem fefellisse inanem conjicio ; si enim pater materve febricitans, liberis adhuc integris, tempestive subducatur, fieri potest, ut hi valetudine secunda frui perstent ; quanquam causis supra relatis, iisdemque gravioribus, jam orbi pateant.

Quaedam domus, quod usu medici didicerunt, potissimum hac febre infestari reperiuntur. A die XI^o kalendas Januarias ad diem XIX^{um} kalendas Februarias decem homines, unis aedibus usi, omnes, alius ex alio, febricitabant. Causa inquisita, contagium febrem excitasse satis liquibat.

Quoties febris contagiosa urbes amplissimas populatur, platearum aliquas prae caeteris, praesertim angustas, pauperumque tabernis refertas, occupare notatur. Quoddam novi ex angiportis ad plateam *High Street* dictam attinentibus, ubi paucos intra menses L homines febre aegrotabant. Idem ipsissimum angiportum diu antea febre vacaverat : quae sane non prius erumpebat, quam quaedam incolarum morbo implicita fuisset. Initio reliqui iisdem tectis subjecti, consanguinei scilicet, deinde famuli ; posthac vicini, qui hosce aegrotos viserant, accepta contagione, febricitare coeperunt. Huc accedit, mulierem, quae principio in febrem inciderat, cuidam amico febre correpto prius interfuisse. Quibus rebus perspectis, contagium omnibus supra dictis febrem attulisse, constat.

A die vi^{to} idus Decembris ad diem iv^{um} nonas Januarias undeviginti febre tentati ab angiporto, cui jam diu pestilentia quasi inhaeserat, ad valetudinarium advehebantur.

Haec equidem, quae quotidie observantur, minime caeteris causis, fatigatione scilicet, inedia, squalore, explicari possunt. Exemplum optime hoc illustrabit.

Vicus, cui nomen *Quarry-Holes*, qui Edinburgo mille circiter passus distat, ex casis humilibus perpaucis, hic illic sparsis, conficitur. Idem satis est saluber, coeloque purissimo fruitur; nec desunt vicini horti, herbis et floribus vigen-
tibus ornatissimi. Febris eidem antea defuerat, quam alienigena febre affectus illuc se recepisset. Protinus exinde febricitabant primo ipsius nati; deinde qui iisdem parietibus continebantur. Ubi hucusque febris processerat, non progredi desistebat; at paulo postea matrem et sororem cujusdam aegrotorum invasit, quae in aedibus habitabant ducentos fere passus domo inquinatae distantibus, quaeque crebro consanguineos aegros visum ire solebant. Quam celerri-

me, hisce mulieribus domum reducibus, febris confirmata saevire coepit, ibi omnes aggressa.

Hoc exemplum documento nobis luculentissimo est contagii febris genitricis; eo quod febre tentati nec rebus angustis et squalore languerent, neque locum gravem, insalubrem, aut contagio antea vitiatum, accolerent. Neque fatigatio, labor, aliave causa sedatrix istiusmodi febre illas mulieres affecerat; quippe quae non nisi inter suos aegros visendos contagioni obiectae fuissent.

Ubi huc ventum erat, febris inclinari incipiebat; plures scilicet implicare desinebat: id quod ejus fontem clarius ostendit. Febre enim correpti vicinis sanis penitus diducebantur, eo quod omnes febre, quae pestilens videbatur, exorta perterrerentur: aegri porro quamprimum ad valetudinarium mittebantur. Deinde, tectis relictis, conclavia vacua, quo tabum pestiferum deleretur, *acido muriatico* aliisque huc idoneis aëriis imbuebantur; parietesque, vestes, stragula et toralia sorde prorsus expurgabantur.

Quum igitur in aprico est, impetum febris

non prius decrescere coepisse, quam aegri a sanis disjungerentur, non inficias est eundum, quin contagio, causa praecipua, imo vero fortasse unica, orta fuisset.

Pleraeque ex mulieribus, quarum est aegrotantibus in Valetudinario Novo assidere, jam febricitarunt : quaedam bis, et duae ter in febrem inciderunt. Non paucae apud Valetudinarium Regium ea laborabant.

Complures MEDICORUM DOMESTICORUM eandem subierunt ; quae profecto mihimet non pepercit.

Ne multa, perpauci eorum, qui febricitantibus auxilio adesse solent, non febre serius ocys torquentur.

Quanquam autem contagium acerrimum sit, subtilissimum, facillime undique volaturum, felix tamen est, non omnes pariter opportunos existere, quos aggrediatur ; de qua re mox disserendum.

Non profiteor sane, ut antea dixi, contagium unicam esse hujus febris causam genitricem ;

at vero multo plus valere, quam quibusdam placet, existimo.

Ex febrientibus CCXIII, qui, nullo habito discrimine, in valetudinarium accepti, mensibus Octobre, Novembre et Decembre sanati exierint, CXLIV contagio fuerant objecti. E reliquis eorum, LXIX quidem contagionem clare non subierant; alii causa dubia, vel non satis perspecta, febricitaverant; quod ad alios, unde febrierint, apud tabulas de aegris ad valetudinarium traductis conscriptas penitus siletur.

Hisce aliquis objicere potest, quosdam ex CXLIV supra propositis, etsi contagio patuerant, fortasse aliis quoque noxis excitantibus opportunos fuisse; quod sane denegare nequeo. Cum vero manifestum est omnibus febrem eadem fere indole iisdemque notis praeditam evenisse; eorumque singulis causam febris acerrimam et valentissimam, nempe contagium, fuisse illatam; vix non judicare licet, plerosque saltem non aliunde aegrotasse.

Quanquam vero satis constat contagionem istos CXLIV febre implicuisse, non illico mihi persuadetur caeteros LXIX non eandem expertos

fuisse causam. Meminisse enim oportet, de causis, quae nonnullis febrem intulerint, apud tabulas conscriptas sileri. De novem aegris hoc saltem praedicandum ; quos ideo contagium invasisse verisimillimum est. Circiter xxx ex reliquis lx negabant se contagio fuisse obnoxios : caeterorum alii ancipites de causa dubitabant ; alii, frigori allato febrem tribuebant, praesertim eam causam rogati, eoque ejusdem admoniti. Nosse equidem juvat vulgus frigori veluti causae praecipuae insistere solere : siquidem haec valetudo ex horrore fere semper incipit. Quo fit, ut medicus, si aegro conquerenti nimium confidat, falsa opinione facile ludatur.

Hisce cognitis, quoties meum fuit febre captis interesse, inquirere consuevi, necne febrientibus aliis nuper jam sani assederint, aedesve contagio saturas accoluerint : unde, abjecta opinione ab ipsis aegris edita, contagium febris esse fontem frequenter comperire potui. Multi autem vel inter pauperes et inscientes nunc demum, intellecta vera causa, febrem contagio exortam credere inceperunt.

Proximum est, ut ostendere nitar, veri esse simillimum, contagionem vel iis, qui aliunde febricitasse viderentur, febrem induxisse.

Notatu igitur dignissimum est, subtilem hanc noxam aegrum ipsum frequenter eo latere, quod febris non statim eandem admotam sequitur. Quis enim, si amicum febrientem septem octove dies aut amplius viserit, priusquam ipse in febrem lapsus sit, huc suam valetudinem adversam relegare solet? Mentis equidem humanae proprium est tam arcto nexu causas cum effectibus sociare, ut illas perspicere nequeat, si longo intervallo hisce disjungantur. Non ideo mirandum est, multos interrogatos contagium jam diu acceptum febrem cievisse negare; praesertim si in animo habeatur mentem febre correpto pigram esse, languidam, reminiscendi impotentem, variisque imaginibus perturbatam. Exemplo hanc rem illustrabo. Mulier locum ignobilem incolens, neque vero paupertate confecta, febrem passa, eandem oneri gravissimo humeris sustentato tribuit: quum tamen hanc aegram labores istiusmodi subire suevisse comperissem, causa relata non contentus, paulo altius

perscrutabar. Maritus ejus medicamenta quaedam inter alia vendebat, ipsaque officinae interesse solebat. Febris tunc temporis vicinos in eadem platea habitantes saeva aggrediebatur : quid autem est probabilius, quam plures contagio imbutos, febrientium scilicet amicos, medicamina empturos officinam petiisse, et inde foeminam supra dictam infecisse ?

Nuper febris integram familiam, nempe quinque homines, adoriebatur : hi omnes intra tres quatuorve dies febrile incipiebant. Ipse quatuor eorum curabam ; qui notis omnibus, quales febrem *epidemicam* denuntiare consuerunt, afficerentur : negabant tamen rogati se contagio patuisse ; quod parvi nihilive habeo ; siquidem domus propinqua in eodem angiporto sitae febricitantes continerent. Mense Septembre, annoque MDCCCXVIII, ancilla quaedam febre implicata, aedibus novi Edinburgi relictis, curru publico (*hackney coach*) ad Valetudinarium Regium vehebatur. Paulo postea eundem currum statuto loco situm videbam, necdum expurgatum. Demum vero eodem penitus mundato, id est, solitis rationibus contagii delendi objecto, per-

multi impune utebantur, qui, ni purificatum fuisset, forsan febricitassent : imo vero fortasse quidam ex clarissimis et nobilissimis Edinensium, febre inde accepta, succubuissent ; qui denique plerisque, tam subtili contagionis fonte non perspecto, citra hanc noxam allatam periisse visi fuissent. Complures famulae novi Edinburgi jam febrem perpessae sunt ; aliae ex contagio, aliae ex causa incerta, admotis. Quas tamen fere omnes contagio opportunas fuisse ; multas vero, quod minime mirandum, de contagii occasione tacuisse judico.

Eo magis inducor, qui credam contagium, etsi ortus ejus lateat, fere semper febrem facessere, quod interdum *variola*, tibi origine ignota, grassatur, quam aliunde nasci posse nemo sanus contendet. Mihi tamen contigit, eam quasi sponte sua amplius semel exortam cognovisse. Idem de aliis quoque morbis, *scarlatina* scilicet, et *rubeola*, dicendum.

Inter aegros CCXIII, probabile est nonnullos destillatione simplici vel febricula causis solitis oriunda citra contagionem laborasse. Plerique

autem aut malis longe gravioribus, aut febris *epidemicæ* satis claris indicibus, plectebantur.

Ex jam propositis, manifestum erit, uti con-
jicio, cautissimos inopinam contagionem sibi ad-
sciscere posse : vulgusque potissimum ei ob-
jici propter angustias, quas occupat, plurimas
tabernas contagio imbutas, aliasque istiusmodi
causas pauperum proprias, quae febres quasi a-
lunt et foveant. Credere igitur oportet, nonnul-
los, contagio admoto, in febrem incidisse, quan-
quam se istam noxam passos ipsi negaverint.
Quo concesso, perpauci ex numero aegrotan-
tium supra relato aliunde febricitasse videbun-
tur. Nisi haec me fefellerint, sequitur, conta-
gium longe creberrimam et valentissimam cau-
sarum excitantium esse habendum.

Mihimet igitur edocuisse videor, imprimis,
hanc febrem contagio ali et disseminari : dein-
de, subtile illud venenum fere unicam esse cau-
sam genitricem.

II. Argumento hucusque absoluto, proximum est, ut quaeratur, quomodo haec causa moliatur, quibusve legibus actio ejus regatur; quantum eam rem proprio usu et observatione ediscere potui.

Contagium neutri sexuum parcit, neque alterutrum potius quum alterum laedit. Hoc comperire potui, nominibus multorum febre correptorum tabulae quotidie inscriptis; sive qui domi remanserint, sive qui Valetudinarium Regium, sive qui alterum novum, adierint.

Haec tabula monstrat, a die VI^{TO} idus Decembris ad diem VII^{MUM} kalendas Februarias CLXXX mulieres, et CXXVI viros febricitasse. Cur mulierum quam marium multitudo major in febrem lapsa fuerit, intellectu difficile non est. Imprimis, censu habito, compertum est foeminas Edinenses viros numero exsuperare; deinde, scire licet mulieres, domi manere et febrilentibus suis assidere suetas, magis exinde semet contagio objicere.

Aliquando, praeterea, totam familiam praeter

uxorem febre affectam cognovi; interdum, marito incolumi, uxorem implicatam.

Multas etiam gravidas febrientes vidi, nec easdem prae aliis immunes existimo.

Tabula subjecta docebit, quae potissimum aetates febris subeundae opportuniore sint; perpaucis exceptis, eadem omnes febre tentatos amplectitur, qui mensibus Octobri, Novembri et Decembri, annoque MDCCCXVIII domum dimittebantur.

Aet. infr.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.	Aet. inter.	No.
10	22	10 & 20	46	20 & 30	59	30 & 40	50	40 & 50	20	50 & 60	8	60 & 70	4	70 & 80	1
Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.	Aet.	No.
10	3	20	13	30	10	40	8	50	5	60	4				

Hac tabula perlecta, patet adolescentes omnium opportunissimos esse. Plures vidi triennium, paucos biennium, et duos equidem, qui non amplius xv menses vixerant, febre vexatos: nullos tamen tenerioris aetatis, quantumcunque contagio objecti fuerint; verique simile est, contagionem illatam praesertim et facillime febrem excitare, ab anno xv^{to} ad annum xxx aetatis:

senes vero et tenellos, quo magis aetas illi jam dictae distet, eo minus esse proclives.

Valetudine firma donati nequaquam, uti plerique contendunt, hujus morbi immunes existunt: imo vero validos lauteque vivere suetos febricitare novi; quum inexercitati, malaque concoctione vexati, atque cibo tenui usi, impune contagio patuere. Interim verissimum est, noxas debilitantes valido corpori subito illatas proclivitatem facessere: cujus rei exemplo esse potest medicus quidam Edinensis, qui ex diuturna inedia febricitasse videbatur.

Nox porro actioni contagionis favere videtur: idque, quadam saltem ex parte, quod fores et fenestrae clausae auram pestilentem haud exire sinunt; etiamque quod corpus plus minusve debilitatum facilius afficitur.

Nondum pro comperto habui, necne aliquis, si jam febricitaverit, ex hac ipsa re, vique consuetudinis penitus exclusa, magis in futurum contagio obniti possit. Paucos equidem novi, qui jam revalentes, et contagio non nisi post

hebdomadas aliquot iterum objecti, incolumes perstiterunt : multo tamen saepius contrarium evenire notatur. Haud raro febrientes curavi, qui pluribus mensibus vel etiam annis antea febre conflictati fuerint. Tres viri mihi amicissimi bis eadem plexi sunt. Permultae ministrarum aegris assidere solitarum apud Valetudinarium Novum bis, et duae etiam ter, impetum ejus, primo saepe nihilo mitiorem, sustinuerunt ; imo vero, quaedam ex iis quae, prima accessione finita, non valetudinarium reliquerant. Hinc vero non absimile videtur, homines non ideo minus febris opportunos esse, quod eam subierint.

Quanto imperio consuetudo corpora humana premat, saepissime comprobatum est ; neque effectus ejus hic loci notare difficile est : satis enim innotuit longe plurimos eorum, qui indies auram inhalare pestiferam diu consueverint, febris expertes superesse. Quinetiam duos vel tres novi, qui olim diu contagio patere sueti, deinde aliquamdiu non obnoxii, postremo iterum expositi, febricitarunt.

Ex omnibus contagio subjectis, quot febriant, quot integritate frui perstent, cognitu perdifficile est.

Ex quo * Valetudinarium Novum institutum fuerit, usque ad kalendas hujus anni Februarias, LI mulieres, quae aegris ministrent, collocatae sunt: harum circiter xxxvii febricitarunt, aut inter negotia obeunda, aut jam dimissae. Nunc temporis, mense scilicet Februario, tres famularum, quae nuperrime venerunt, adhuc sanae manent: quum etiam fieri potest, ut hae serius ocyus aegrotent, immunibus fortasse subducendae erunt. Calculo igitur ita instituto, videbitur, ex quatuor contagioni subjectis unum tantum incolumem evadere.

Proinde, exempla accedunt istis omnino contraria; nimirum, contagionis impune illatae.

Bini geruli, quorum est febricitantes ad valetudinarium sella portatitia deferre, ideoque pauperum tabernas aura pestilenti maxime inquinatas frequentare, nec raro miseros febre implica-

* Mense Februario annoque MDCCCXVIII.

tos a lectis ad sellam vectare, jam demum per integrum annum hoc functi munere illaesi sunt.

Quidam per duodecim menses capita aegrotantium tondere sueverat, non tamen exinde febre multatus. Alia menses novem vestes, toralia et stragula ad valetudinarium attinentia impune lavare solita fuerat.

Quod ad haec et alia ejusmodi exempla, consuetudo salvos praestare nobis videtur. Quorum est enim febrientibus interesse, initio circumspecti summa ope contagium vitant; nec nisi diu jam assuefacti, incauti et audaces fiunt. Nemini vero inter haec non cavendum; aliqui enim auram pestilentem per menses aliquos, vel annos forsitan, quotidie inhalare soliti, tandem inopinato in febrem incidunt. Unde satis constat, quantulum fidei calculis supra relatis debeatur; cum is qui nuper immunis videbatur, inter febrientes subito numerandus.

Quinetiam, nonnullos incolumes febricitantibus condormivisse novi; quod luculento est exemplo insignis potestatis, qua quidam acerrimae

huic causae obstant ; quod idem etiam de aliis contagiis interdum observare licet.

Quo tempore contagio objecti maxime periclitentur, febre scilicet ineunte, an confirmata, an inclinata, an abeunte, vix pro comperto habeo. Conjicio tamen febre captos, eo potissimum tempore contagio aëra circumfluum inquinare, quo stupentes viribusque lapsis delirent. Tunc enim halitu foedissimo coelum corrumpunt, pessimeque olent ; unde clare statuere liceat, necne conclave perflatum acceperit idoneum ; constat igitur, quo febris vehementius exardeat, eo magis hunc necessarium, eoque difficilius conciliandum esse.

Famulae item febre affectae subinde se e tali aegro contagium accepisse professae sunt : quarum tamen sententiae non prorsus fidendum.

Cognitu perdifficile est, quando revalentes halitum pestiferum spirare desinant. Hoc enim aliis aliud erit, prout aliquis citius aut tardius ad sanitatem reducatur. Probabile est die circiter xiv post febrem finitam parum aut nihil

contagii e corporibus sanatorum excerni * : perpauci enim, relicto valetudinario, cum suis febrem, nisi sint relapsi, communicasse videntur.

Halitus e pulmone et cute evolutus atque sub stragulis occlusus sanis vicinis nocentissimus est. Cadavera febre absumptorum ipse impune scalpello patefeci.

Multi febre implicantur inter condormiendum febrientibus; quo nihil praesentius certiusve periculum affert.

Si † conclave spatiosum idoneum habeat perflatum, nec sani febre captis nimium propinqui sint, vix metuendum erit: quotidie enim in Valetudinario Regio plurimi juvenum citra periculum conclavia visere consuerunt; et pleri-

* Juvenem novi, qui puellae jam sanitatae die xvi^{to} post febrem finitam per totam noctem concubuit: nec tamen febre exinde implicatus.

† Vir mihi amicus, qui annos quinque in Valetudinario Bristolensi vixerat, ibi iisdem conclavibus aegros omnigenos cubare solitos esse retulit; ita ut interdum *typho*, *rubeola* et *scarlatina* gravissime affecti revallescentibus ex aliis morbis proximi cubent: febrem tamen exinde dispergi se nunquam vidisse. Nosse juvat, conclavia jam dicta spatiosa esse, excelsa, fenestrisque patentibus, et aliis rationibus perflatum continenter accipere.

que civium ditiorum domi febricitaverunt, omnibus ibidem degentibus incolumibus. Quibusdam famularum ad Valetudinarium Novum attingentium liberi erant; qui complures menses eo adire soliti saepe in conclavibus febrientium matribus assederunt; quorum vix ullus in febrem cecidit, nisi mater prius aegrotaverit; unde quantum contactus valeat clare demonstratur. Pari ratione familiares et amici aegrorum, inter eos visendos, febre correpti sunt; longo enim sermone ultro citroque habito, halitus pestilens e pulmone cuteve evolutus facile ab his ad illos transfertur. Hinc conjicio, si conclavia aëre puro et munditie polleant, aliquem incolumem ibi manere, modo tres aut sex pedes febrienti distet. Ii praesertim periclitantur, qui aegris saepe colloqui, ministrique proximi adesse, consuescant. Si conclavia non rite perflentur, aëra totum contagio imbui necesse est.

Pulmonem autem potius quam cutem hoc venenum accipere, hinc docemur; quod quaedam famularum, et alii, spiritu, quem febriens emiserat, subito inhalato, protinus febricitare

inceperint. Medici quoque persaepe quam proxime ad aegros accedere coguntur ; scilicet, inter temperiem *thermometro* explorandam, venam feriendam, fauces inspiciendas, &c. : quoties ipse ad haec officia exequenda aegris appropinquo, semper spiritum continere soleo, quo minus auram pestilentem acciperem. Huic rei meam salutem saepissime attribui.

Vestibus contagium haerere solet ; unde quidam, indusiis febricitantium lotis, nec alii contagionis fonti objecti, aegrotarunt ; quod idem de *variola* praedicare licet. Mihimet tamen persuadetur, perraro vestes aegris ministrantium, nempe, medicorum, vel etiam famularum, eo contagio imbui, ut alios febre inficere possint ; dummodo conclavia, ubi aegri jaceant, rite fuerint mundata, et perflatum idoneum subierint. Quod si res non ita se haberet, necesse est, ut hi ipsi medici, inter oppidanos curandos, pestilentiam ubique diffunderent. Nullus sane dubito, quin vestes et stragula, quibus aegri ipsi utuntur, contagium foveant : quod idem de vestibus aegris interesse suetorum in angustioribus conclavibus affirmandum.

Sequitur, ut inquiratur, quamdiu contagium jam acceptum prius in corpore lateat, quam febris prodire coeperit.

Quosdam novi, qui extemplo, illata contagione, febrierunt. Unum exemplum perinsigne est. Famulae cuidam jam inhalato spiritu, quem febricitans emiserat, omnia membra protinus inhorrescebant; dein accedebant notae solitae febris.

Multi potius ad contagionem olim acceptam subitas hujusmodi accessiones referunt; quae tamen, ni fallor, non semper istam rationem habere possunt*.

Quamdiu latuerit virus, cognitu facile non est; quia perplures febrientium contagioni sae-

* Quidam maritus ejusdemque uxor, sex jam menses Edinburgi commorati, ad Scotiam Septentrionalem demum migrabant. Inter itinerandum, ad pagum pauca millia passuum Edinburgo distantem vesperi pervenerunt. Ibi sanissimi cubitum ibant; postridieque mane febris signis graviter oppressi expergiscebantur. Plaustri ope ad valetudinarium vehabantur; cujus auriga, quendam *typho* affectum, ipso lectulo, quem reliquerant, occupato, aliquanto ante obiisse, cum iis communicabat. Huc interrogati febrem referebant. In platea "West Port" habitaverant, febris ibi grassantis haud ignari, eandemque se feliciter evitasse professi.

pe obijciuntur. Accedunt tamen exempla aegrorum, qui semel, bis, vel ter ad summum, contagio opportuni fuerunt.

Apud A. E. contagium v, vi, aut vii dies latitaverat.

J. H. iii aut iv dies

C. P. iii dies

M. K. v, vi, aut vii dies

J. L. vi dies

A. P. v dies

C. W. xvii aut xix dies.

Constat igitur virus frequentissime, quantum haec parva tabula valeat, per dies v, vi, aut vii delitescere, neque ullum notare potui, cui amplius dies xvii aut xix latuerat.

Per integrum mensem, ex quo Valetudinarium Novum primo institueretur, ne una quidem famularum aegrotare coeperat : quum vero continenter febrientibus interessent, quo potissimum tempore aliqua contagium sibi adsciverit, minus pro comperto haberi potest.

III. Quaedam de progressu febris coërcendo.

Simul atque contagium, diris ejus effectibus notatis, etsi ipsum sensus pene lateat, existere, legesque ejus actionis imperatrices, perspexerimus; quomodo ejus progressui obstetur, satis manifestum erit. Huic vero praecepto potissimum insistendum: “sani, scilicet, aegris
“quam maxime et celerrime subducantur.” Neque ullus dubito quin, si id penitus fieri posset, cito febris per populum Edinensem spargi desineret. Hunc autem in finem, valetudinario opus est. Edinburgi, non solum Valetudinarium Regium febrientibus accipiendis dicatur; verum etiam viri spectatissimi eidem praepositi, quo melius saluti publicae consulerent, alias aedes jam saepe memoratas in valetudinarium vertunt: quod tanta cura sustinent, ut nemo, qui idem viserit, non leges salutare ibi servatas summis laudibus prosequatur; cui rei ipse testi

sum lubentissimo. Huc accedunt multi viri optimi consociati, qui pauperum tabernis petitis febrientes exquirant, ad valetudinarium mittendos : efficiantque, ut vacuae domi vestesque rite expurgentur ; quo minus ibidem febris maneat et increseat. Sanati igitur, domum reduces, valetudinario tandem relicto, puris aedibus fruuntur : usuque docemur, nisi in febrem relabantur, quod facile accidit, modoque tabernae penitus emundatae fuerint, ibi, contagio deleta, febrem conquiescere. Ratio efficacissima igitur contagii debellandi nobis in manibus esse videtur : eheu vero ! plures causae nunc describendae vetant, quo minus eadem semper uti liceat.

Complures ex domis contagio inquinatis, uti hospitia advenis locari solent : nec pauci urbanorum ita se suosque sustinere consuerunt. Conclavia perangusta et multa, unicumque fere tabulatum singulis domorum contingunt. Uti exemplo satis crebro utar : siquis e sex hospitibus uno conclavi inclusis febricitat, fieri potest, ut abire nolit ; nec leges nostratum vi eum expelli sinunt : unde medico haud parum obsta-

tur. Quod si febre affectus domo exeat, non illico conclave aura pestilenti rite purgare licebit: aedium enim magister id fieri vix patitur, ne reliqui hospitem abirent. Longe saepius, alius aegro ejecto protinus accedit; antequam scilicet id conclave prorsus salubre et contagii purum reddere licuerit. Quinetiam, si quis febricitat, aliquando vel subito dimittitur, vel clam ad valetudinarium advehitur; quo minus medici consociati eam domum contagio pollui detegant. Pene omnes igitur, qui in eo conclavi habitant, in febrem lapsuros, idemque fonti contagionis perpetuo fore, probabile est. Praeter haec, hujusmodi domibus tot et tam angusta conclavia sunt, perflatu salubri nunquam fere refecta, parietesque tam graciles et manci, ut vix quidem febris non tandem per omnia dispergatur.

Si ista conclavia septem circiter dies incolis vacuefieri possent, ita ut tempus ad emundandum sufficeret, proculdubio febris ibi quiesceret. Quod si hospites exirent, pecuniis publicis collatis opus esset, nequid detrimenti aedium magistro exinde contingeret; qui non muneratus

eos dimittere nolit. Optimum esse conjicio, ut aedes spatiosae, idoneisque omnibus instructae, sumptibus publicis comparentur, quo hospites confugerent, ubique manerent, dum contagium deletum fuerit. Aestate profecto, castra sub dio posita ejectis incolis hospitio satis convenient. Talis ratio febris arcendae gravissimas prohiberet aerumnas, rei publicae summae utilitati foret, neque non sumptus forsitan permagnos averteret.

Haud raro, visis istis teterrimis domiciliis, animo mecum volvi, quantum huc valeret incendium terribile; quod, multis domibus dirutis, incolas abire cogat; maximeque, si tempore aestivo accideret. Tantum infortunium id quam latissime moliretur, quod non nisi paulatim et passim arte fieri oportere contendo. Ratio porro febris arcendae, quam nunc propono, pauperibus aedificia valetudini secundae tuendae habiliora conciliaret.

Ex jam relatis patet quare autumno febris increbrescere soleat: tunc scilicet temporis, mense appropinquante, messorum Hiberni et monticolae Caledonii urbem petunt: ubi diem unum

biduumve commorati contagio polluantur. Neque vero nisi diebus paucis exactis inter metendum in febrem incidunt ; quae ideo latissime patet.

Tantae sunt igitur difficultates, quod ad pauperum tabernas, quae medicorum consiliis obstant. Neque ipsum valetudinarium quibusdam prorsus caret.

Simul atque febre captus valetudinarium adit, vestibus exutis, lavari consuevit, plus minusve, prout opus esse videatur ; lectoque committitur. Deinde indusium ejus laneum in conclavi huc accommodato vaporibus acidis imbuitur, lotis simul vestibus gossipinis. Ubi jam revalescens sedere potest, mundata vestimenta sibi induit, iisdemque uti perstat, donec sanatus exeat. Domum redux facile contagium vestibus inhaerens ad suos transfert. Nullum tamen clarum exemplum febris ita accensae me adhuc novisse fateor. Tutius sine dubio esset, aegros indusio novo vestire ; nec nisi domum jam redituris propria vestimenta penitus lota induere. Si hic modus febrientes vestiendi adhiberetur,

valetudinarium longe melius salutis publicae consuleret.

Quosdam contagio inquinari novi, inter suos febrientes visendos; unde ipsi quoque in febrem inciderunt. Quam maxime igitur cognati et familiares aegrorum excludendi. Haud equidem nescio hoc grave incommodum prorsus evitari non posse: si enim aditus amicis et cognatis non pateret, permulti febre correpti valetudinarium inire omnino nollent.

Quinetiam, iis caute et prudenter agendum, quorum est aegros ad valetudinarium mittere. Medici profecto nunc demum cavere solent, ne aliis morbis implicati huc advehantur. Fieri tamen potest, ut vel rei medicae peritus aliquem febris signis levioribus affectum, quo minus disseminetur, ad valetudinarium mittat; cui demum *pneumoniam*, *catarrhum*, aut *cynanchen*, non *typhum*, ea signa intulisse constat. Hic, si febrienti vicinus cubat, contagio accepto, domum reductus febrem, ad suos omnes denuo spargendam, subire potest. Nonne igitur optandum est, ut conclave proprium incerto adhuc malo aegrotantibus accommodetur? et praesertim va-

riola, scarlatina et rubeola affectis? Juvenem novi *variola* aegrotum, qui sanitate recepta dimissus, paulo postea febre contagiosa gravissima vexatus ad valetudinarium rediit. Hi morbi sane jam ineuntes haud facile a *typho* dignoscuntur. Simul atque vero cutis demum efflorescens mali naturam patefecerit, aeger quam primum aliis subducendus est. Hujusmodi morbis affecti in eodem conclavi, quo febrientes, nequaquam impune cubant: quod etsi perflatui continenter objiciatur, contagium tamen facile ex alio ad alium transfertur. Jam revalentes enim, corona crebra facta, focum circumdare solent: neque medicus vetare potest, quin aliquis juventute aut viribus alacrior socio debiliori auxilio fiat.

Quomodo famulae aegris assidere solitae incolumes servari possint, jam dicta fere satis edocent; nec verbis multis hac de re opus est. Corpus labore, inedia aliundeve infirmatum quam minime contagio objiciendum est. Tunc igitur febrientes visendi, quum cibus jam ingestus aut mens hilarior actiones corporis interiores

concitaverit. Si conclave perflatum habeat idoneum, praesertim circa lectos, neque medicus aut famula malam auram, quam aeger spirat, vultu averso, inhalet, terreri non oportet. Per timescere malum est; mente enim, ideoque corpore, exinde resolutis, contagium eo facilius nocet. Prudentis igitur, non timidi est, cavere: pauci enim cavendo non tuti erunt.

Suaveolentibus vaporibus uti, ad contagium arcendum, quales nimirum *camphora*, acetum *aromaticum*, et caetera, mihi inutile esse videtur. Idem porro gravi incommodo haud carent: odores enim hujusmodi nares tam fortiter cient, ut, conclave perflatum aptum jam necne acceperit, olfactu sentire nequeamus. *Acida muriaticum* et *nitricum* in sublime lata ad aëra impurum expellendum haud parum operae conferunt: His enim jam avolantibus, fores et fenestrae occludi solent: quo facto, easdem patefieri oportet, non prius claudendas quam odor *acidorum* percipi posse desierit. Aëra hinc penitus novari oportet. *Acida* jam relata aegris prorsus innocua sunt: *chlorinum* contra nocentissimum est, tussim a-

cerrimam moturum. Hoc tamen rite adhibitum contagii delendi praepotens est; quo medici consociati antea memorati, ad pauperum tabernas vacuas emundandas, utuntur. Huc dein accedunt conclavia abluta, parietes dealbati, vestimentaue lota.

Vaporesne *acidi* contagium facultate *chemica* diruant, an solummodo aëra hoc pollutum ejiciant, incertus haereo. Illam actionem mihi dubiam videri fateor: hanc amplectendam esse, nec parum valere, manifestum est.

Hyeme praesertim haec febris grassatur; fortasse ob urbem ea tempestate populo frequentior. Anno MDCCCXVIII^{vo}, aestate quam hyeme multo lenior urgebat. Autumno ingravescebat, et sensim increscere perstabat, usque ad annum MDCCCXIX^{no}. Anno MDCCCXVIII^{vo} Decembrequae ineunte, tabulam, admonente viro eximio ANDREA DUNCAN juniori, conscribere coepi; quae omnes febre captos a medicis consociatis * detectos ostenderet. Haec tabula † numerum aegrorum singulis hebdomadis exhibet: et quan-

* Vide P. 19, L. 9.

† Vide Tabulam I.

quam tempus breve vetuit, quo minus legem exinde aliquam utilem aut generalem deducere, quam novissimos tamen febrientium adiacere in animo est.

Hac tabula perlecta, docemur nullam legem certam aegrorum numerum regere; sed hunc aliis alium esse hebdomadis. Hinc fortasse suspicari licet, coeli rationem (quam maxime variam) plurimum hujus febris progressum moderari. Quisque equidem valetudinario interesse solitus optime novit, modo per unam duasve hebdomadas perpaucos eodem confugisse; alias, tantam multitudinem adiisse, ut vix omnes conclavia accipere possent.

Subinde notavi, plures ex diversis partibus urbis huc advectos eodem die febricitare coepisse; quinetiam, multas famularum simul in febrem incidisse: postea denique aliquamdiu ne unam quidem famularum febricitasse. Haec suggero, quae posterius altius perscrutentur: illud certe convenit, causam aliquam generalem, nondum perspectam efficere, ut contagium certis temporibus magis polleat.

Finito demum argumento proposito, solum

restat, ut profitear, nullubi me opiniones edidisse, quas usu proprio observata non comprobare viderentur. Missis igitur alienis fontibus, ea quae ipse experientia didicerim, proferre malui. Neque vero inficior, quin libri antea perlecti perinsigni mihi auxilio fuerint; et sententias, quas amplecti visum est, confirmaverint.

Ex harum natura tabularum vernaculo sermone uti necesse est.

TABULA I.

NUMERUM FEBRIENTIUM SINGULIS HEBDOMADIS EXHIBENS.

From Dec. 8. to Dec. 14.	43 patients were reported.
15. 21.	39
22. 28.	37
29. to Jan. 4.	37
—156 Dec. 8. to Jan. 4.	
From Jan. 5. 11.	51
12. 18.	60
19. 25.	40
26. to Feb. 1.	37
—188 Jan. 5. to Feb. 1.	
From Feb. 2. 8.	46
9. 15.	26
16. 22.	38
23. to Mar. 1.	27
—132 Feb. 2. to Mar. 1.	
From Mar. 2. 8.	41
9. 15.	38
16. 22.	42
23. 29.	20
—141 Mar. 2. to Mar. 29.	

From Mar. 30. to April 5.	26	
April 6.	12.	37
13.	19.	28
20.	26.	34
		—125 Mar 30. to April 26.
27. to May 3.	37	
From May 4.	10.	23
11.	17.	29
18.	24.	17
		—106 April 27. to May 24.
25.	31.	19
From June 1.	7.	25
8.	14.	16
15.	21.	21
		—81 May 25. to June 21.
22.	28.	20
29. to July 5.	20	
From July 6.	12.	12
13.	19.	8
		—60
		—
		989

TABULA II.

LOCA UBI FEBRIS GRASSABATUR OSTENDENS: EA, QUAE
CRUCE NOTATA SUNT, PRAECIPUE INFESTARI
REPERIEBANTUR.

High Street†.

Blackfriars' Wynd †,	south of High Street.
Stevenlaw's Close,	do.
Bell's Wynd †,	do.
Dickson's Close †,	do.
Toddrick's Wynd,	do.
Old Fishmarket Close,	do.
Niddry Street,	do.
Con's Close,	do.

Bailie Fyfe's Close,	north of High street.
Morrison's Close,	do.
Jackson's Close,	do.
Halkerston's Wynd †,	do.
Advocate's Close,	do.
Anchor Close,	do.
Dunbar's Close,	do.
Craig's Close,	do.
Chalmers' Close,	do.

Cowgate †.

High School Wynd,	south side Cowgate.
Troplick's Close †,	do.
Hastie's Close †,	do.
Pleasance,	do.
College Wynd,	do.
West Campbell's Close,	do.
Horse Wynd,	do.
Cowan's Close †,	do.
Bull's Close,	do.
Con's Close †,	north side Cowgate.
Henderson's Stairs †,	do.
Fairley's Entry,	do.
Forrester's Wynd.	do.

Canongate †.

Hume's Close,	south side.
St Mary's Wynd,	do.
Plainstone Close,	do.
Coal's Close,	do.
White Horse Close,	Head of Canongate.
Bull's Close,	do.
Gibb's Close,	do.
High School Close †,	north side.
Shoemaker's Close,	do.
Steele's Battery †,	do.

Charity Workhouse,	foot of Canongate.
Magdalen Hospital,	do.
White Horse Close,	do.
Paul's Work, Leith Wynd.	

Grassmarket†.

Castle Wynd,	north side.
Crawford's Close,	do.
Brown's Land, Castle Bank †,	do.
Plainstone Close,	do.
Brown's Close,	do.
Hastie's Close †,	south side.
West Hamilton's Close †,	do.
Cuddie's Close,	do.
Dunlop's Close,	do.
Swan's Close,	do.
Pearson's Close,	do.

West Port †.

Lady Lawson's Wynd,	south side.
---------------------	-------------

Lawnmarket.

Libberton's Wynd,	south side.
Mill's Court,	north side.
Potter Row †,	left of College Street.
Crosscauseway,	south of Old Town.
Cowfeeder Row,	west of the Old Town.
Ponton Street,	do.
Carnegie Street,	head of Leith Walk.
Currie's Close,	south side Castle Hill.
Anderson's Close,	West Bow.
Thorny Back,	
Alison's Close,	
Catherine Street,	head of Leith Walk.
Fountainbridge,	west from West Port.
Canal Street.	

ADDENDUM.

IN argumentum certius quam verae sint sententiae in linea XIII. et seq. paginae XXIV. memoratae, licet facere mentionem *medicum domesticum* huic valetudinario praefectum, quanquam menses XVII ibi impune mansisset, et munere quotidiano fungens morbum effugisset, tandem implicitum esse; et hodie forma febris satis gravi laborare. Memoratu quoque dignum est, eum salute minime bona interdum usum esse, et aliquando concoctione mala in conditionem marcoris et debilitatis summae fuisse redactum. Omne illud tempus aegris quotidie saepenumero interfuit, contagioque multum fuit objectus. Nuper tamen salute meliori fruebatur, et minus solito febricitantes invisebat, donec foemina, quae signa pessima febris passa tandem fato succubuit, valetudinarium iniit. Propter signa periculosa huic aegrae minitancia saepe illam visitavit, et verisimile est eum ita contagione correptum esse.

E. T.

Queensberry House, }
Die XXI. Julii MDCCCXIX. }

ADDENDUM

Le argumentum certum quam veras sint sententias
 hoc in fine xiii. et seq. paginæ xiv. memora-
 tas, licet tacite mentionem archiepiscopi domesticum
 hinc antea obliquo perrexit, quoniam men-
 tes xxi. ibi impune transisset, et tunc quod
 diano tunc archiepiscopus effugisset, tandem impli-
 citum erat, et hodie foras sebris satis gravi la-
 borare. Idemque quodque dignum est, cum
 salute minime bonis internum usum esse, et ali-
 quando confectione sola in conditionem mar-
 cois et debilitatis annuere iussit redactum.
 Omne illud tempus ægris quotidie sequebatur
 to interit, contagione multum fuit objectus.
 Super tamen salute melioris trahatur, et minus
 solio febribus invidetur, donec formam
 quæ signa persens sebris passam tandem lato auc-
 torum, valentissimum inest. Propter signa pe-
 riculosa hinc sebris terminata esse illam vi-
 detur, et verisimile est cum in confectione cor-

R. T.

replem esse, et hinc

replem esse, et hinc



